






M I S S A

In Festo

S. JOANNIS CANTII Confessoris, Regni Poloniæ & M.D. L. Patroni.

à S. R. Congregatione 23. Decembris 1767. approbata.

Introitus Eccl: 18.

MIserátio hominis circa proximum suum: misericordia autem Dei super omnem carnem. Qui misericordiam habet, docet, & erudit, quasi pastor gregem suum.

Psal: 1. Beatus Vir, qui non abiit in consilio impiorum, & & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit.

Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto &c.

Miseratio hominis &c.

Oratio.

DA quæsumus Omnípotens Deus, ut Sancti Joánnis Confessóris exémplô in sciéntia Sanctórum proficiéntes, atq; áliis misericórdiam exhibéntes, ejus méritis indulgéntiam apud Te consequámur. Per Dóminum nostrum &c.

Commem: Dominicæ.

Lectio Epístolæ B. Jacóbi Apóstoli *cap.* 2.

SIc loquímini, & sic fácite, sicut per legem libertátis incipiéntes judicári. Judícium enim sine misericórdia illi, qui non facit misericordiam: superexáltat autem misericórdia judícium. Quid próderit, Fratres mei, si fidem quis dicat se habére, ópera autem non hábeat? Numquid póterit fides salváre eum? Si autem frater, & soror nudi sint, & indígeant victu quotidiáno: dicat autem áliquis ex vobis illis: Ite in pace, calefacímini, & saturámini, non déderit autem eis, quæ necessária sunt córpori, quid próderit? Sic & fides, si non hábeat ópera, mórtua est in semetípsa.

Graduale Psal: 106. Confiteantur Domino misericordiæ ejus; & mirabilia ejus filiis hominum.

℣.

℣. *Psal, 106.* Quia satiavit animam inanem, & animam esurientem satiavit bonis. Alleluja Alleluja.

℣. *Proverb: 31.* Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem. Alleluja.

✠ Sequéntia S. Evangélii secúndum Lucam. *cap: 12.*

IN illo témpore dixit Jesus Discípulis suis: sint lumbi vestri præcíncti, & lucérnæ ardéntes in mánibus vestris, & vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revertátur à núptiis, ut cùm vénerit, & pulsáverit, conféstim apériant ei. Beáti servi illi, quos cùm vénerit dóminus, invénerit vigilántes. Amen dico vobis; quod præcínget se, & fáciet illos discúmbere, & tránsiens ministrábit illis. Et si vénerit in secúnda vigília, & si in tértia vigília vénerit, & ita invénerit, beáti sunt servi illi. Hoc autem scitóte, quóniam si sciret paterfamílias, qua horâ fur veníret, vigiláret útiq; & non síneret pérfodi domum suam. Et vos estóte paráti, quia qua horâ non putátis, Fílius hóminis véniet.

Offertorium Job. 29.

JUstitiâ indutus sum; & vestivi me sicut vestimento, & diademate, judiciô meô; oculus fui cæco & pes claudo: Pater eram pauperum.

Secreta.


HAs quæsumus Domine hostias Sancti Joannis Confessoris tui meritis benignus assume, & præsta, ut te super omnia, & omnes propter te diligentes, corde tibi & opere placeamus. Per Dominum nostrum &c.


Communio Luc: 6.


DAte & dabitur vobis, mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum.


Postcommunio.

PRetiósi Córporis, & Sánguinis tui Dómine pasti delíciis, tuam súpplices deprecámur clementiam, ut Sancti Joánnis, Confessóris tui méritìs, & exémplìs, ejúsdem charitátis imitatóres effécti, consórtes simus & glóriæ. Qui vivis & regnas cum DEO Patre &c.









MISSALE
MONASTICUM